

non est mortua puella, cum revera esset mortua: deinde multas solutiones dedi, quia quamvis secundum naturam esset mortua, non tamen sibi ipsi, utpote vero Deo, cui omnia vivunt. Adde nunc.

44. Ecce præclara, & ingens liberalitas magni principis plura dat, quam dicit, ac evulgat: dicit puellam dormientem, cum revera esset mortua, dicit à somno excitari, cum eam è mortuis ad vitam revocaret. Tres Angelos sub habitu peregrinorum ad hospitium invitat Abrahamus, & ait: *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, & postea transibitis:* Genes. 28. num. 5. & cum ad hospitium acquievisset, præparavit magnum convivium; nam mandavit Saræ tria lata similia commiscere, hoc est magnam copiam panis; nam juxta multos Doctores per tria lata denotantur centum, & octo libræ, & de pane optimo. Nam similia farinæ triticeæ pars purissima & præstantissima est, quæ communiter vocatur flos, & medulla farinæ; simulque præparavit vitulum tenerimum, & optimum, barycum, lac, & alia; quibus sanè ad magnas delicias, & lautum prandium, nil poterat esse apios: quomodo ergo solum offert buccellam panis, cum tot, & tanta essent in animo præparanda? Vir magnus exigua, & tenuia dicit; maxima tamen, & splendida præstat. Lippomanus ait: *Non promittit justus splendidas vestes, non pretiosa condimenta, sed buccellam panis pollicetur; ad robur virium pancula spondet, magna autem præstat: sic omnis dignus, ac liberalis hospes, attenuat verbis officii impensas, etiamsi pretiosa producat.*

Magnus vir exigua dicit, præclara p. astat.

Lippoman.

45. Cum Christus D. procedit ad miraculum faciendum, ait: *Recedite, non est mortua puella, sed dormit, & deridebant eum.* Maxime inquirendum est, quare Christus D. tam grande patraturus miraculum, ut se Deum ostenderet, mortuos ad vitam revocans, se tunc derideri permittit? & deridebant eum: Cum sciebat Paulus ad Galatas 6. n. 7. *Deus non irideatur; tanquam sit elogium proprium Dei non irideri.* Cur ergo Christus D. tantam irisionis contumeliam non increpat, ac à se excludit; sed ab illa miraculum inchoat? D. Chrysol. homil. 32. ita scribit: *Et deridebant eum. Non autem increpavit derisionem, ut & ipsa derisio, demonstratio fiat mortis: quia enim multoties, postquam facta sunt miracula, non credunt homines, antea eos convincit propriis responsionibus.* O arcana tanti miraculi apud homines demonstratio! & tanti miraculi ex derisione altruit probationem apud homines quidem potentissimam: Valde pronum est humanæ credulitati, opprobria aliena credere, &

Galat. 6.

D. Chryf.

illis plena mente adferri, & ideo probrosæ derisioni augustius miraculum annectitur. Nam cum Christus dixisset: *non est mortua puella, sed dormit;* & circumstantes deridebant, cum audiunt dormientem, quam certo credebant mortuam, & ita cum eam viderent in vitam evocantam, certissime credebant miraculosè resuscitatam; & ita propriis responsionibus, seu irisionibus convincuntur, certissime miraculum agnoscere, & confiteri; & ita tanti miraculi credibilitas de probro astruitur, & ideo irrisio permittitur, & non increpatur, ut ita fiat suffragium ad agnoscendam divinam Majestatem in Christo.

Ex probro ac irrisio-bilis magis miraculo.

Veniunt Magi ab Oriente ad Christum D. adorandum: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & prostraverunt adoraverunt eum; & apertis thesauris suis, obulerunt ei munera, &c.* Matth. 2. num. 11. si Magi invenissent Christum D. in regali palatio, inter pompas majestates cum magno, & amplo comitatu, & tunc ipsum adorassent, & è longinquo quærentes ad adorandum, valde mirum non esset; sed quod jacentem in stabulo inter bruta animalia, ibi cultu lætitiæ Deo debito venerentur, hoc supra omnem modum mirabile est, cum extrema paupertas, ac humilitas non minuat, sed potius amoris scintillas accendat. O supremum arcanum divinæ Sapientiæ, ut ipsa suprema abjectio fiat argumentum evidens supremæ potestatis, quæ ita Magos adducit, & testimonium fide Magorum ostendit? D. Paschas. lib. 2. in Matth. ait: *Christus invenitur in stabulo, humili veste contactus, ibi sua Divinitas irradiat, & Magorum fides adoratione, ac muneribus protestatur.*

46.

Matth. 2. Humilitas argumentum divinæ potestatis, ac Magorum fidei.

D. Paschas.

Post Resurrectionem apparet Christus suis discipulis ait illis: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum:* Luc. 24. n. 39. quæ verba commentans Eusebius Emisenus serm. in feria 3. Post Pascha, ait: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum; cognoscite vulnerum cicatrices, si me nec in persona, nec in voce cognoscitis.* Dubitabant discipuli an ipse esset, qui redivivus apparebat. Tunc objicit eis vulnere cicatrices: quia si cum non agnoscebant, nec ex voce, nec ex persona, ex cicatricibus cognoscerent. Cicatrices signa sunt corporis mortalis non gloriosi, & quid habent cicatrices cum dotibus gloriosis? Cicatrices passionis vestigia, & probrosæ contumeliæ stigmata reputantur. Ecce sublime Dei consilium, quod ex probro, ac contumelia faciat argumentum ad gloriosum Resurrectionis deus comprobandum, & resplendens resurrectionis majestatis credibilitatem ex ignomina feceretur.

47. Euseb. E.

Majestas ex contumelia creditur.



CAPUT X.



T convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina, sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus. 3. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus; Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Jacobus Alphæi, & Lebbæus, qui cognominatus est Thaddæus. 4. Simon Cananæus: & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum. 5. Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. 6. Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israël. 7. Euntes autem prædicare, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. 10. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. 11. In quacunque autem civitate, aut Castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeat. 12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. 14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exuntes foras de domo vel civitate illa, excutite pulverem de pedibus vestris. 15. Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum indie judicii, quam illi civitati. 16. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. 18. Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. 19. Cum autem Tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes: & morte eos afficient. 22. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 23. Cum autem persequerentur vos in civitate ista fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat filius hominis. 24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. 25. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus: & servo sicut Dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? 26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est operum, quod non reveletur: & occultum, quod non sciatur. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicare super tecta. 28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timere eum qui potest, & animam, & corpus perdere in gehenam. 29. Nonne duo passeris asservant: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? 30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. 31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. 32. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. 33. Qui autem negaverit me coram hominibus manibus: negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est. 34. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. 35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum: & filiam adversus matrem suam: & nurum adversus socrum suam. 36. Et inimici hominis, domestici ejus. 37. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. 38. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. 39. Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. 40. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit



eum qui me misit. 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. & qui recipit justum in nomine iusti mercedem iusti accipiet. 42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

ⲙⲉⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ ⲙⲁⲓⲓⲛⲓ

ARGUMENTUM CUM Remissionibus.

Primo, Vers. 1. Refert Evangelista electionem Apostolorum, quam explicavi tomo 3. cap. 5.

Secundo, Vers. 5. Ordinatur, ac disponitur suos discipulos ad prædicationem Evangelicam, & quomodo se debeant habere in itinere, ac in domibus, in quibus fuerint recepti. Vide tomo 3. cap. 7.

Tertio, Vers. 13. Declaratur Dominus, qualiter se debeant habere sui discipuli cum iis, qui eos non receperint, sed eiecerint foras: Explicavi tomo 3. cap. 18. De his autem, quæ dicuntur de civitatibus Sodomorum, & Gomorrhæorum, dictum est eodem tomo 3. cap. 14. à num. 3.

Quarto, Vers. 16. Prædicatur Dominus suis discipulis multas persecutiones passuros, sicut oves inter lupos, proindeque eis commendatur, ut sint prudentes sicut serpentes, quod explicavi tomo 3. cap. 8.

Quinto, Vers. 23. Docet Dominus, quod aliquando erit conveniens fugere de una civitate in aliam. Vide tomo 3. cap. 9.

Sexto, Vers. 34. Declaratur Dominus, quod venit mittere gladium in terram, ad amputandum omnem affectum carnalem, promittitque amplam mercedem recipientibus Apostolos, quod explicavi tomo 3. cap. 10.

Apostoli ad prædicationem Evangelicam.

QUESTIO I.

Quare mittens Christus D. suos Apostolos ad prædicandum, mandat eis, ut neque aurum, neque argentum, neque pecuniam secum asportent?

MANDAT Christus D. suos Apostolos ad prædicandum cum potestate ad miracula faciendâ Beneficentiâ maxime reconciliat animos; mandat eis, ut narrat noster Evangelista hoc cap. 10. n. 9 Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis: quod est explicatum à nobis tomo 3. cap. 7. q. 3. 4. 5. & 6. Nunc verò adde.

Primò ait suis discipulis Christus: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam: Ad quæ valde prudenter ait D. Remigius in Catena: Redegit eos ad primi hominis dignitatem, ut nulla se indigerent? Gravissime tamen D. Chrysostr. hom. 33. in Matth. considerans quomodo etiam rebus ad vitam necessariis eos privaverit, ait; Ipsos ad universi magisterium missurus, ad Angelicam, ut ita dixerim, disciplinam, ex humana vita traducit, ab omni cura rerum secularium liberis reddens. Minister Evangelicus ita sit separatus ab omni cura secularium rerum, ut sit veluti Angelus nullius rei iudicus, quæ prior Divinitatis æmulatio est; & summæ perfectionis apex; unde merito à Tertulliano libro de Orat. c. 3; Nos Angelorum candidatis dicimur: ipsa summa rerum inopia premeretur? ut à Deo de omnibus provideatur, ipsaque rerum egestas magnis vocibus Divinam misericordiam invitat, ut nihil desit; sicque Dominus eos interrogans, Luc. 22. n. 35. Quando misit vos sine sacco, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis: At illi dixerunt: nihil.

Secundò, in præsentem mandat Christus suis discipulis: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas: & tamen passioni proximus, cum eos ad prædicationem instruit, ait illis: Quando misit vos sine sacco, & pera; nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: Luc. 22. num. 3. 5. & 16. Qui antea viduaverat suos discipulos sacco, perâ, & vestito; nunc hæc concedit, Sanctus Chrysostr. homil. in locum Pauli: Salutate Priscam, utrumque Christi præceptum conferens gravissimè discessit, & ait: Nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: sed nunc, qui habet, &c. Non enim

enim simpliciter dixit eis: Tollat marsupium, & peram: sed priorum memoriam reficando, sic dicebat: cum mitterem vos sine marsupio, & perâ, aliquid ne deerat? Hoc est, nonne omnia ubertim vobis affluebant; sed nunc (quando nempe jubet, ut sacculum & peram portent) volo vos, & paupertatem experiri, & ea propter ad legem priorem observatos nolo, neque à vobis idem, quod antea exigo... Non ita probati fuissent, si nullam, vel afflictionem, vel inopiam, vel angustiam degustassent: Altissima sanè doctrina; quando Christus misit suos discipulos sine auro, argento, marsupio, & perâ? tunc ipsa Christi paupertate omnibus abundabant, Nonne omnia ubertim vobis affluebant: At verò quando nunc in ultimo loco mandat sacculum, & peram portare, ex rebus mundialibus comparatam, ut in paupertatis angustias incidant: Volo vos paupertatem experiri, & ea propter ad legem priorem observatos nolo. Abundantior est Christi paupertas, quam totius orbis divitiæ. Permittuntur discipulis sacculum, & peram ex temporalibus rebus, ut paupertatis molestias experiantur, à quibus omnino erant alieni, dum temporalibus rebus denudati, extrema Christi paupertate degebant. Ipsa paupertas propter Deum, divitiarum multæ; sic ait Joseph Gen. 41. n. 32. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ: quasi multa opulentiâ ex inopia, ac egestate, tanquam fructus ex semine nascitur.

Tertio, nolite possidere aurum, neque argentum: Solum in præsentem est præceptum de auro, & argento; & nullum datur verbum nec de agris, nec de villis, nec de armentis, cur etiam de his non sit prohibitio, sed solum de auro, & argento: cur omnium rerum non tollitur ab eis possessio? Peculiariter tamen prohibetur aurum, & argentum; hæc enim portantur ab homine secum, & inde maximè sunt suspectæ, maximèque adhærent visceribus humanis difficulte inde evelluntur: Ad hæc dixit Hugo Cardinalis: Nolite possidere aurum, sed heu! hodie nihil aliud querunt homines: deficit sæpè vinearum possessio, relinquuntur agri incolti, villa ruunt solo æquata, armenta pereunt; amor auri, & argenti tenacissimè perseverat, & valde difficile ab homine excludi potest.

Cùm Samuel velle suam puritatem, ac innocentiam ostentare coram omni multitudo, ait loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, utrum bovem cuiusque tulerim, aut asinum, &c. 1. Reg. 12. n. 3. Aliter Apostolus Paulus similem contestationem faciens, solum dicebat: Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiivi, sicut ipsi scitis: Act. 20. n. 33. & quando Samuel de bobus, aut de asinis loquebatur: cur Paulus illa prætereat, & solum suam innocentiam testatur de contemptu auri, & argenti? Et pertinacior est, & savior pecuniarum affectus; sic qui ab illo liber est, in maioribus probat suam innocentiam; cùm autem Paulus multò perfectior esset Samuel, inde celsitudinem sui animi ostendit, quod à nulla rerum copia premeretur, sed inde illis superior, aurum, & argentum in contemptum habebat.

De Job scribitur cap. 1. n. 3. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales: ut explicatur in Textu, in possessione Ovium, Camelorum, Equorum: sed quomodo tot divitiarum cum Sylveira in Evang. Tom. VI.

multi non impediabant virum iustum, retardabantque eum ab insigni virtutum opere; cùm ipse Dominus dicat Matth. 19. n. 24. Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum: Inter divitias Jobi, etiam essent multi animalium greges, nullum tamen recensetur aurum, & argentum. D. Chrysostr. in D. Chrysostr. Catena Græca, ait: Vide hominem agrestibus divitiis affluentem. Oves, & boves, & quæ ex anni temporibus, & agricultura percipiuntur, recensuit scriptura. Non auri, neque argenti thesauros meminit, neque lapidum pretiosorum quibus hominum divitiis inhiantium morbus inflammarum; sed illa enumerat, quæ ad vitam necessitatem sunt accommodata: Divina Scriptura in referendis Jobi divitiis, non possessionem auri, & argenti enumerat, sed armenta animalium, greges ovium, boum, camelorum: quæ per campos pasuntur, quæque tempore dantur, & tempore pereunt: At aurum, & argentum portat homo secum in sinu, ac peccatore illisque nunquam satiatur, sed maximè sitim habendi adaugent, & famem rabidissimam generant, quæ in perditionem trahit non sic verò alia, quæ veluti sunt aliena, & separata à manu, & oculis.

QUESTIO II.

Quare Christus D. prohibet suis discipulis duas tunicas, simulque virgam, secundum Matthæum, quam secundum Marcum concedit?

IN hoc capite Divinus Magister n. 10. præcipit, quod non habeant secum, nec peram in via, neque duas tunicas. Quod explicavi citato cap. 7. quæst. 5. nuac addo ex D. Nysseno homil. 11. in Nysseno Cantic. qui ait: Non oportet eos, quicumque divino sanguine sunt ornati, peccati tunicam induere, sed unam solam innocentiam, ne duas contrarias inter se invicem conjunctas habeant tunicas: distinctè prohibet Deus, ne quis pannosam tunicam vitiorum jungat tunicæ gratiæ, sed illam profus tollat, ut unam hanc habeat: valde enim sub Dei ornatu damnabilis est peccati habitus, sic pergit citatus Nyssenus supra datus: Nec oportet novam pannum veteri vestimento affluere, ne ejus, qui hoc induit, major sit turpido, cum neque maneatur id, quod est assuetum, & veteris sit futura deterior & apertior deformitas. Unde Paulus clamat ad Roman. 13. n. 14. Induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis; seu ut est in Græco, cupiditatibus: Christum induere, est Christum suis actionibus, ac operationibus imitari, ac sequi, & ad hoc carnis desideria, ac cupiditates sunt deponenda, ut explicant D. Chrysostr. & D. Thomas.

Mandat etiam eis Dominus, ut neque virgam portent in via, quod explicatum est citato cap. 7. quæst. 8. Adde nunc ex D. Hieronymo hic, Docet Dominus, neque habere virgam, qua verteretur in colubrum, neque in aliquo praesidio carnis innititur, quia huiusmodi virga, & baculus arundineus est, quem si paulum presseris, frangiuntur.